



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Monita, si morbus grauior fuerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Allaturus, accuratè hoc præmonebit: primùm vt ægrotantis ad quem deferatur, cubiculum ab omni sorde & inquinamento purgetur; amotaque omni re profana, exornetur, vbi potest, pio apparatu, & sacris imaginibus: tum præterea mensa consternatur mappa nitida, appareaturque cruce, aliave effigie sacra, can delabris, & candelis saltem binis. In qua mensa super corporali pixis cum sanctissimo ipso Sacramento collocabitur. sit præterea vas vitreum ad ablutionis usum.

Qui ob egestatè id minus præstare possunt, eos curet Parochus iuvari à confratribus sanctissimi Sacramenti.

Certis campanæ percussionibus parochiæ suæ clericis, & parochiales, præsertim confratres sanctissimi Sacramenti conuocabit.

In deferendo vtetur pluuiali, vbi per loci, temporisque conditionem fieri poterit: alias verò superpelliceo & stola.

Curabit etiam clericos habere, non solum qui res sacras afferant in ministracione adhibendas, sed qui comitentur, & vnà cum eo preces recitent.

Ij superpelliceo induti sint; & si capitulum canonicorum ad sit, etiam alijs indumentis, quibus vtuntur in choro.

Sanctissimum Sacramentum deferet vasculo decore ad præscriptam formam: quod vasculum vel tenui linteo, vel velo ab humeris demisso decenter contegatur. si verò ob necessitatem noctu, & locis asperis, montuosisque, via præcipiti, aut lubrica deferet; sacrum illud vasculum in sacculum decentem qui à collo pendeat, ita includet, vt si fortasse ipse labatur, sacramentum in terra decidere nullo modo possit. Umbellam præterea vbi potest adhibebit, maioris vel minoris formæ pro locorum conditione ad præscriptum.

Cum Parochus accessit ad ægrotum, diligenter videat (si quidem grauius laborat) an integro sensu sit; an item periculum tussis; anque item vomitus. si tunc non potest sumere, necessitate, vique; repentina morbi impeditus, aliquantulum morabitur Parochus; dumque in mora est, ipse, & reliqui fideles genibus flexis coram sanctissimo Sacramento orabunt.

At verò si perseveret impedimentum, illud proponet ei adorandum, si modò ægrotus ita desideret: & impertita ei figura Crucis benedictione cum ipso Sacramento discedet. eodem modo oret, proponat, & benedicat, si, cum venerit, ab initio viderit fieri non posse, vt ægrotus sumat: sed ne deferat tamen vnquam ad eum, quem sumere non posse ante nouerit.

Si autem sumere potest, Parochus illum suauiter alloquetur; & quæret, an aliquid reliquum sit quod confiteri velit, tuncque libenter eum audiet, & absoluet: interrogabitque item, an sanctissimum Corpus Domini sumere velit; & si pro viatico dandum sit, id quoque exprimet: ad quod pie deuoteque sumendum paucis verbis inflammabit.

Si quando sine sacra hostia redibit, Parochus antequam domo ægroti abscedat, lumina extinguere iubebit; superpelliceum, stolam, tintinnabulum, umbellam non adhibebit; pixidem palam non deferet.

Prælato alicuius ecclesiæ, qui in lecto ægrotans frequentissimè sacre Eucharistiæ pabulo salutariter se reficiet, eam, & cum primò in ægrotatione, & cù pro viatico sumet, sacerdos qui post illum in ipsa ecclesia primariam dignitatem, locumve obtinet, deferet ac ministrabit, vniuerso clero eiusdem ecclesiæ prosequente, & societate etiam sanctissimi Corporis Domini. Si verò scriptus sacram communionem sumet, alius inferior sacerdos, vel Parochus ministrabit, societate tantummodo Corporis Domini comitante.

Alijs sacerdotibus eodem modo deferetur, eiusdem ordinis saltem sacerdotibus, alijsque clericis comitantibus.

Ægrotus si per valetudinem potest, è lecto surget: decoreque vestitus; & si est sacerdos, superpelliceo stolaque indutus, genibus flexis erit, dum sumet.

Monita, si morbus grauior fuerit.

SI morbus grauior, & cum periculo fuerit, Parochus ægrotum suadebit, vt dum integra mente est, rem omnem suam rectè constituat, & testamentum faciat.

R 4 In

In testamenti factione significabit, quanti inter sit religiosos homines doctrina & pietatis usu præstantes adesse, de quorum consilio ad remedium animæ suæ in vltima voluntate pro facultatibus aliqua pia opera statuat.

Legata pia quæ fecerit, præstari quamprimum, aut etiam ipso viuente monebit; cum hoc ei plurimū suffragari possit ad animæ salutem.

Hæc in primis monebit, quæ quamquam semper præstanda sint, tali tamē tempore in primis: vt si quid alieni habet, si per facultates potest, quamprimum restituat, aut saltem id præstari in testamento caueat.

Vt si de alicuius fama detraxit, curet ei aliqua ratione satisfacere.

Vt si quos inimicos habet, illis omnino ignoscat, omnemque facultatem, & inimicitias deponat.

Vt si quem offenderit, læseritve, vt potest satisfaciat.

Si ab aliquo læsus, aut forte vulneratus sit, ei ex animo, & toto corde ignoscat, offensionemque remittat.

Perquiret item, an sacro chrismate confirmatus sit, quod si illum adhuc non esse viderit, etiam iacentem, si adest Episcopus, confirmari; si minus adest, id cum per valetudinem poterit, vt quamprimum præset, accuratè monebit.

Monebit etiam, vt morbo magis etiā ingrauescente, sanctissimum viaticum, & extremæ vnctionis sacramentum in tempore petat; ut dum sensibus integris, & mente viget, piè religiosèque sacramenta accipiat.

Aget cum eo, vt si Dei gratia moneaturque ab eo morbo conualescet, vitam omnino emendet, aut sanctiorem viuendi disciplinam suscipiat.

Demonstrabit, Sathanam nihil non agere, vt impediat salutaria eius remedia: ideoque in id studere, vt infirmo in animum sæpenuero inducat, nihil periculi ex morbo quo laborat imminere: medicos autem verbis blanditijs, spem longioris vitæ sæpè polliceri, in id ipsumque familiares etiam & cognatos incumbere. Periculū igitur morbi ei ita celari ne sinit, vt eum mors opprimere possit inopinantem & imparatum.

Atque opportunè inducet illum, & suauiter, vt velit suum sibi periculum patefieri.

Animaduertet autem, ægrotos tribus potissimum solere valde molestis cogitationibus affici, anxieque perturbari. quarum primam affert mortis metus; alteram conscientia peccatorum; tertia oritur ex contemplatione diuinæ iustitiæ: quamobrem in promptu habebit argumenta ad persuadendum apposita, pro conditione ægrotantis: quem lenibus suauibusque verbis alloquetur.

Ostendet, mortem christianis hominibus non modò extimescendam non esse, sed etiam amandam, & expetendam: quæ nisi intercedat, fieri non potest, vt à peccati seruitute, & huius vitæ calamitatibus atque incommodis omnino liberati, æternam foelicitatem per Iesum Christi meritum consequamur. Atque in hoc suadendi genere rationes & locos sibi sumere poterit ex libro Sancti Cypriani, qui est de mortalitate.

Quem metum depellere studebit, non solum multis alijs rationibus; sed etiam & sacrarum literarum auctoritatibus, & exemplis sanctorum, & sacris precibus & orationibus.

Si ob affectum quo erga res terrenas irretitus tenetur, aut ob alias causas mortem exhorrescit: hunc affectum expellere conabitur rationibus ab earum vanitate vitioque deductis.

Ad sedandam perturbationem quæ oritur ex conscientia peccatorum, hortabitur, vt frequenti confessionis, & sacre communionis usu sese religiosè corroboraret: credatque omnino sacramentis peccata infinita Dei benignitate deleri.

Ad iustitiæ verò diuinæ contemplationem ægrotum valde se abijcientem, eriget commemoratione infinitæ bonitatis diuinæ: quæ nunquam patitur fideles esse destitutos, qui velint, quamdiu in huius vitæ cursu versantur, penitentia exactæ vitæ peccata diluere.

Si impatientem ægrotum viderit, ei proponet passionem Christi Domini, tormenta sanctorum martyrum, exempla aliorum sanctorum, Iob, Tobia, Iosephi, & aliorum. Merita præterea ostendet patientiæ, quæ multa sunt, & maxi-

ca. causas item ostendet afflictionum, quas Deus pater amantissimus, & medicus sapientissimus, tanquam medicamenta fidelibus adhibet.

Orationibus etiã breuibus vtetur, quas vnã cum ægroto pronuntiabit, ad illius impatiẽtiam sedãdam, depellendam ve. Cohortabitur præterea, & cõsolabitur eum, prout affectum esse viderit; agetq; pluribus, aut paucis, pro prudentia charitateq; sua. In eoq; denique diligens erit, vt omnem ex infirmi animo mœstiam abijciat, paratusq; sit, depositum suum, quandoq; illud repetere Deus voluerit, libentissimè reddere.

Si in vrbe, aliove loco æger est, vbi Archiepiscopus moretur; eum inducat ad benedictionẽ Archiepiscopalem vnã cum indulgentia, cuius facultatem Apostolicam habet, piẽ petẽdam, ipsam etiã Archiepiscopum ipse poterit quandoq; de illius morbo ægritudineve certiorẽ facere; qui eundem sponte visitabit, & consolabitur; aut alium mittet.

In grauescente morbo Parochus infirmum crebrius inuiset, & iuuare ad salutem conabitur quam diligentissimè.

Si mortis tempus instare viderit, aget ad prescriptum, commendationisq; animæ officium præstabit. Monebit etiam instante periculo se confestim vocari, vt in tempore præsidio sit morienti.

ORDO MINISTRANDI

Eucharistiæ Sacramentum

infirmis.

PAROCCHVS conuocatis parochiæ suæ clericis certis campanæ percussionibus; & item confratribus sanctissimi Sacramenti in Ecclesia parochiali; paratis item cereis, & umbella; manus lauabit.

Postea super pelliceo, stola, & pluuiali rubeis indutus, ad altare genibus flexis paululum tacitus orabit; mox ascendit, genuflectit, aperit tabernaculum; iterum genuflectit, extrahit pixidẽ suo velo tectam; super corporali in altari explicato collocat; rursus genuflectit, & claudit tabernaculum.

Tectis serico velo rubeo humeris, brachiisque, sumit pixidem; & eaque manu eodem velo cooperitã, sinistra pedem te-

nens, dextera nodum ipsius pixidis, & sub umbella procedit; quæ a dignioribus laicis deferetur.

Clericus vnus præibit, qui aquæ benedictæ vasculum cum aspergillo deferet; & tintinnabulum item per certa intervalla pulsabit; cuius sonitũ populus ad religionis cultũ sanctissimo Sacramento tribuendum genibus flexis procedens excitetur.

Alter item clericus, si fieri poterit, adiungetur, qui bursam rubeam corporali incluso concinnè feret ante pectus; & item librum hunc, de quo ipse Parochus, quæ oporteat, recitabit.

Cerei duo lateribus inclusi à confratribus sanctissimi sacramenti præferentur; quæ lumina ventorum vi, præsertim per hyemem, extingui nõ possint.

Septem psalmos penitentiales Parochus in via piẽ recitabit; quos, si longum est iter, repetet, præsertim psalmũ Miserere; & alias etiam religiosas preces, hymnos, & psalmos accommodatos, quatenus spatium dabitur; idq; cum sacerdotibus, & clericis, qui comitabuntur, alternatim.

Reliqui fideles bini prosequuntur, orantes ipsi quoque; primo loco scholares sanctissimi Sacramenti deinde reliqui, viri scilicet, postremò femina; hæc capite velato, illi omnes capite aperto: omnes manu candelas accensas tenentes, vt plures possunt. viri autem aliqui poterunt à lateribus etiam cum luminaribus comitari.

Cubiculum ægrotantis Parochus ingrediens dicit. *V. Pax huic domui.* *R. Et omnibus habitantibus in ea.*

Tum reponit sanctissimum Sacramentum in mensa apparatus, candelis accensis, supposito pixidi corporali explicato; & genuflexus illud adorat. Postea surgens, aspergit illum cum aqua benedicta accipit; ægrotum aspergit ad similitudinẽ crucis, cubiculum, & reliquos qui presentes adsunt, dicens Antiphonam. *Asperges me dñe hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor. V. Gloria patri, &c. R. Sicut erat &c. tum repetit Antiphonam.*

Asperges me dñe hyssopo, &c. vt supra. Mox dicere pergit preces sequentes,

ita